

*Gumbicki*  
/ Illustrissime, et Reverendissime Domine. Habeo duas epistolas Illustrissimae, et Reverendissimae D. Vestrae, alteras mense Maio, alteras mense Junio datas. Prioribus non respondi, quia invenerunt me decumbentem in lecto, et graviter afflictum ex casu ex quo;  
5 quo; ex quo casu, cum senex sim annorum quatuor supra septuaginta, arbitrabar, me omnino ad Dominum posse migrare; sed placuit Deo, casum illum meum ita moderari, ut sine vitae periculo ad exercitium patientiae, et peccatorum purgationem, ut ego interpretor, mihi valeret. Nunc igitur, cum solo sinistro brachio laborem, et brevi perfectam  
10 sanitatem adepturum me sperem, nolui committere, quin litteris amoris et officii plenissimis continuo respondeam. Nepos Illustrissimae, et Reverendissimae D. Vestrae juvenis insignis, et tanto patruo, vel avunculo dignissimus, vere testatus est, me saltem magno animo studuisse honori, et utilitati Illustrissimae personae  
15 vestrae consulere. Agnosco tamen, et confiteor, multo minus a nobis effectum esse, ob varias interpositas difficultates, quam merita vestra postularent. Si quid deinceps potero, paratum me Illustrissima D. Vestra semper inveniet. His bene valeat, et prospere agat in obsequium Domini, et Ecclesiae Catholicae sponsae Christi. Romae die  
20 16. Jul. 1616.